

19a

V I R O
PRAENOBI LISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
A M I C O S V O
D O M I N O
AVGVSTO SCHAA RSCHMIDIO
SVMMOS IN MEDICINA HONORES
G R A T V L A T V R
ANDREAS CHRIST. BEZELIUS
MEDIC. CANDIDAT.

L I P S I A E C I C I C C X X X X I L



V A I R O
A M M O S A V O
D O N I N G
V A G A Z T O P C H V A R S C H U N D O
B A M M E S I N M E D I C I N A H O M O L E S
A N D T B E S E C H E S E B E N T P I E S
M E D I C I N A G A M I N G A T
P I E S I A V A C H O S C H W A R C H



Ipse TIBI, AMICORVM CHARISSIME,
imaginari facile poteris, si quem alium, me certe
maximo perfusum esse gaudio, vt resciuerim,
Amplissimam Facultatem Medicam nostram decre-
uisse TIBI honores priuilegiaque Doctoralia pro-
pediem conferenda. Sane autem, cur id omineris,
satis habes, modo intimorem, qua ab aliquot iamiam annis vsi
fuimus, si quae placet, vltro vsuri consuetudinem atque amicitiam
nostram in mentem reuoces. Nam si bonus quisque alterius
Concius sui, tantum non inimici felicitati applaudere, et vel com-
muni quodam sensu inde affici solet, quid in eum, quaeso, cecid-
erit, quem tam arcte sinceritatis leges TIBI deuinctorum tenent?
cuiusque voluptas quoconque haec tenus gradu perfectiones tuae
creuere quadrata, cubica, longeque maiori ratione accrescere
semper visa fuerit. Verum enim vero, MISCHAAAR-
SCHMIDII, etsi nihil hic, quidquid demum huius nostrae
coniunctionis sit, intercederet, et si ne ulli quidem adeo inno-
tuisses, praesens tamen fertum atque honores eruditione virtuti-
busque TVIS dignos non vsque diu TIBI adfuturos, praeuidere
quilibet, saltem non indoctus poterat, cuique vel indefessa TVA
sedulitas, rectaque Medicinam tractandi ratio constituit. Quod
enim ipse in TE deprehendi, non pro agnata tantum TIBI am-
bitione, raraque inter artis nostrae studiosos magnanimitate
compulsus, solidiora vbiique ratiocinia quaerebas; verum etiam,

* * *

vt teneriorem in fungendo quondam tam graui munere conscientiam, coram summo Numine illaesam, famamque inter homines diu superstitem seruares, ita TIBI prospexit semper, vt nihil addisceres, quin id firmo immobilique talo consistere posse existimares. Procul equidem abesse a me vulgarem illum errorem volo, vt TE per hanc in Medicis rebus agendi rationem ad certam inter Medicos societatem, quae *Mechanica* nuncupatur accenseam: Longe enim prudentior esse videris, quam vt cum Vesanan ac praejudiciosis quibusdam, qui praeter Mechanicorum nomen nihil amplius in recessu gerunt, sentias, mechanice in Medicina philosophari eum, qui actiones in corpore animalium obuias ad nudam hypomochliorum, terebrarum, clavicularum, axium, trochlearum, similiisque nuguncularum rationem exigit atque resoluit. Bone Deus! utinam tandem aliquando saperent homines, neque amplius nugarentur cum arte, in qua non ipsorummet propria tantum, verum etiam uniuersi generis viuentium salus consisit. Vix omnino noueris ullam amplius scientiam atque artem, vbi tot sententiae, tot phantasmata, tot opiniones, tot insomnia, tot inspirationes, tot cerebri lusus, tot deinde fictiones vnam comparuisserent, quam quidem in Medicina reperias. Mox enim Galenum peculiari legioni Praefectum vides, mox Paracelsum: mox cum noua prorsus Myriade incedit Helmontius, mox aliquis alter: hic Syluiani, alibi iterum Ineptiani discurrunt: quos tamen omnes, tam Generales, quam Gregarios, cum iamdudum in profundum cecidisse, penitusque euanuisse videamus, dic, quaeſo, CHARISSIME, quid subsit, quod a tam longo diuersarum cateruarum tempore Medicina ab huius furfuris capitibus repurgari ne hodienum quidem queat? Nonne etiam nunc peculiarium religionum hominibus consuetudo nobis est? Nonne TV ipse quoque quosdam nosti, quos Deus et Natura ad ſtiam potius atque chalybem, quam ad nobilium aliquod corpus, quale humanum est, tractandum condidit? Chalybeos quosdam intelligo, ipsa etiam re tales, quibus per simplicem eorum receptivitatem, ac vt ita dicam, cerebrorum chalybeam intractabilitatem melior corporis humani theoria imprimi haecen-
nus haud poterat. Ne igitur plane sine villa ratione, quidquid in Praxi fuscipint, agere dicerentur, hocque modo tantum ali-
quid a circumforaneis, tonsoribus, atque vetulis distinguerentur:
cum

* * *

cum alias non norint, sano remque Ontologiam, illorum scopo
minime quadrantem, videant, totam quantam nouissimam de
homine, eiusque in primis anima, philosophiam composuerunt.
Sed quid nouissimam dico, antiquam potius, immo antiquissi-
mam. Nam si cum quibusdam, qui non multis ante nos annos
vixerent, ruditatem cruditatemque suam *occultis qualitaribus* defen-
derent antiqua tantisper sapere viderentur: naturam enim ex
mente illorum in corpore animali illud reparare, resarcire, eli-
minare etc. quid aliud est, quam si formula veteribus familiari
enunciarent, animae inesse certam (*quam ignorant*) adeoque oc-
cultam facultatem, qua hoc vel illud in corpore renovatur, pro-
scribitur, in perpetuum relegatur; antiqua, inquam, haec talia
essent, antiquissima vero sunt innumera, quae in anima conci-
piunt. e.g. Si quem solo terrore vitam amississe vident, animam
hominis metu imminentis mali aut periculi e corpore profugisse
adserunt. Id vero fatis prudenter: stultam enim vel vulgi arbitrio,
talem animam esse oporteret, quae, dum adhuc cuti suae
confusere potest, vna cum corpore interire vellet. Quid autem
fieri existimas, quando p[re]e gaudio quis moritur? respondent
animam saltare (quamvis ei nemo fistulet) perque hunc (pro-
priarum manuum pedumque) vehementiorem motum vel do-
micilium fenestrarum puluere obfuscatis, sellis diffractis, fundo
pedibus inculcato, etc. destruit, inutileque reddit, vel sin adeo
insaniuerit, valido tamen suo saltu per proximum foramen elab-
itur (membraque confringit) nosti enim in corpore animali
multa dari foramina. Noli ridere: quasi vero vsque adeo inau-
ditum esset, vt quis p[re]e vesania vnuquam collum fregisset. Ante
annum, et quod excurrit, sereno quodam die prouocatus, eges-
sus eram extra suburbium, incidique in paludem, vbi ranae nu-
ptias celebrarunt, credebam ergo, possem me hac occasione
eorum genitalia inuenire, praesertim cum fere omnes in ipso
actu deprehendi poterant: cepi duas. quid autem fit? plane vt
eas contemplarer. Ecce! Candidatum N. a tergo meo stantem.
Salve, inquit, Domine, quid agis? cur torques hasce misellas
in vanum? quid in vanum? ita, inquam, Philosophos agere
oportet; atque ille pro more suo nasutule subiicit, vtque scis
eius generis homunciones vel ob ruditatis suae conscientiam pe-
nitus tacere, vel si quid se didicisse putant, aduersarios suos

* * *

quocunque modo perstringere velle, ita hic Virunculus directo
in suum finem sermone nostro tantum non omnem mouebat
lapidem, quo vnum alterumue absurdum ex nostra, quam habe-
mus in Medicina theoria cieret. Ego pro meo cum huius farinae
creaturis agendi modo, quod sciui, respondi, ac vt ei egregium
talitrum infligerem, captam denuo ranam ad eius oculos fecui.
Optarem, vidisses tum hominis turbas. **Das curios**, inquit,
das Curios! **Quidni curios?** inquam. Quid vero nunc,
doctissime domine, inquam, Candidate, de praefenti phae-
nomeno secundum tuam philosophiam censes? estne anima
huius animalis diuisibilis? vides enim non tantum cor, quod
ab animali seiuētū est, manifesto moueri, sed ipsum quoque
animal, quasi re optime gesta, saltare, natare, et tuam, nisi
fallor, philosophiam ridere: adhuc quidem responcionem eius
teneo. Ne autem cachinnis colicam tibi contrahas, malo te
illam ignorare. Interim quidquid huius sit, habet et hic bonus
puer suas laudes, nec que loquitur, ipse somniaſſe, sed potiora
ex ore Archiducis sui hauiſſe, atque adeo probus Magistri sui
imitator esse videtur. Nam quod ipse quadam vice in claſſe dicti
praeceptoris eius de *Archaei furientis rixis, principii cuiusdam
animati contra causas materiales insurgentis variis motibus se
q̄uasi armatis, prouida lucta militantis, intentionibus, directio-
nibus etc. etc. audiui*, pius puer, verbotenus paene durante
toto illo campeſtri sermone nostro recensuit, gariuit, blaterauit,
meque, quod maxime mirari debui, inanibus, et plus, quam
vagis hisce reculis conuertere annisſus est. Beata simplicitas!
Reuera hic captiuas reddidit omnes animae suaſe facultates sub
obsequium fidei, (si non stupiditatis.) Certe enim eo iniusti-
tiae progressi videntur quidam commemoratarum fabularum
Magistrorum, vt non fidem tantum, sed quoad fieri potest vitulo
dignam stupiditatem in tyroibus suis supponant, desiderentque.
Lubens equidem abrumpere meas reflexiones, quia et atra-
mentum deficit, et vereor, ne quid iusto plus dixisse videar.
Sed rescant vel minus, succenseant quantum velint

Illos quidem veritas, veritatem autem caeciderit nemo.

Mitto singularem hanc eorum in Medicina theoretica philo-
phandi rationem, si que hac tenus cohibere affectus poteram,
ſufferre



sufferre certe citra indignationem nequeo, quod adsumtas hafce,
nescio cuiusnam Genii, reuelationes, tamquam optime proba-
tas ad praxin quoque impudenti plane ausu adplicare studeant.
Motus, dicunt, *in morbis fieri non a materia, sed propter ma-
teriam, a principio quadam intelligentem, per consequens perfectio-
nem corporis intendente*, positoque pro auctoritate hoc theore-
mate tamquam indemonstrabili (respectu eorum) eliciunt con-
fessarium: *Medicum debere ductum Naturae sequi.* Quemad-
modum autem ex falsis nonnisi falsa plerumque solent naturaliter
sequi, aiunt, in vomendi conatibus ea propinari debere, quae
vomitum promouent. At nunc cogitet, cui vel mica rationis
superest, si aegro in vomititionibus a spasmo ventriculi or-
tum ducentibus offerantur emetica, nonne tunc pessime de
aegri corio agatur? Sed quid inde? Moritur aeger lege artis:
sequutus enim est Medicus ductum naturae. Tandem vero, si
motus in morbis a principio rationali propter materiam fiunt,
quare tum non fiunt, cum vel maxime requiruntur. Constar,
in febribus malignis adesse materiam corpori quam infensissi-
mam, simulque virium prostrationem, qui ergo fit, quod *sapiens* illud *impetum faciens principium* ad tam tragicos actus
torpere soleat? Mihi sane sapiens minime videtur: sapientis
enim est, eligere media fini suo conuenientia, anima intendit
(per illorum hypotesin) corporis conseruationem: naturale ergo
est, vt eligat media optima, quae huic fini conueniant. Mi-
randum itaque est, quod non prima grauissimorum malorum
semina mature praeuideat, et statim in limine iugulet; sed post-
liminio insurgit motibus, dum sero medicina paratur. Nec sa-
pientiam redolet tam periculosa suscipere excretiones v. g. in
haemorrhagiis nimiis; immo, postquam fontica haec mala semel
atqne iterum congruis remedii sublata sunt: nondum tamen
sapit, sed rursus haemorrhagicam instituit tragediam, neque
illam raro ad mortem vsque exercet. Atque vbi iudicium,
quando motus excitat materiae non proportionales: namque a
leui nerui aut tendinis punctura tales producit conuulsiones,
quales vix venena deleteriae indolis inducere solent, qualis igitur
hic proportio est inter causam et effectum? Nemo mortalium,
morbum haec tenus tamquam bonum quid considerat, nostros
tamen heroes vel hac etiam in re discedere a prudentiorum
fententia

* * *

sententia videmus, sed febriū tanquam salutarem principii rationalis actionem considerant. Nunc autem expendat apud animalium, qui facultate dijudicandi pollet, an hi motus in se, suaque natura pro salutaribus haberi possint, qui appetitum, viresque prosterunt, digestionem laedunt, vniuersam oeconomiam vitalē turbant, perque frequentiorem redditum, grauem post se relinquunt atoniam, salutares autem hos motus ideo plerumque dicunt, quod sub eorum finem sanitatem interdum rediisse viderint. Sed qui ob bonas quasdam sub his motibus consequenties similes motus absolute et semper in se ac sua natura salutares enunciat, haud secus argumentabitur ac ille, qui phthisin salutarem esse defendebat, eo quod homines sobrios et temperantes reddat, efficiatque, ut cibo ac potu moderate vtantur. Haec autem sufficient. Neque vero sub initium praesertim litterarum is mihi erat animus, vt diurno quasi rancore ductus, sectas proscindere, easque e medio disciplinarum tollerem. Vanus hic esset labor meus: namque haereses et scandala, teste vel ipsa Scriptura, semper esse oportet. Totum quod hic subfuit id sane erat vnicum, vt T E, T V A MQUE, amantissime SCHAA R S C H M I D I, eruditionem a Seclis omnibus liberam, indicarem. Quodsi vero quis est, qui de T V A in rebus medicis religione scilicet, eum ego ad SCHREIBER Elementa Medicinae physico - Mathematicae relego, legat illa, et videbit, quid Medico scitu necessarium sit, qualisque esse debeat, qui non ad supersticiosos praeiudiciisque plenos adnumerari velit. Cum igitur medica T V A scientia ita comparata sit, vt nulla praeiudiciorum suspicio in T E cadere queat, id quod non ipse met ego tantum, sed omnes etiam, qui eadem sacra vna T E cum tractauere fateri coguntur, fieri sane haud aliter poterat, quam vt Amplissima facultas nostra eruditionem T V A probaret, T E que honoribus bono Medico dignis, ornatum vellet. Fxit igitur Summum praepotensque Numen, vt nouis iffisi decoribus T V I S noua indies fortuna, noua pluraque dignitatum incrementa accendant. Quod supereft, DOCTISSIME SCHAA R S C H M I D I, siue apud T V O S fueris, siue vbiunque locorum, viue semper felix, semper faustus, semper fortunatus, nec unquam immemor nostrae familiaritatis! Dabam, Halae die XXX. Iulii M DCC XXXXII.

* * *

01 A 6507


f




TA-706

nur 10. Seite bis vor verknüpft

VDK





19a

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
A M I C O S V O
D O M I N O
AVGVSTO SCHAARSCHMIDIO
SVMMOS IN MEDICINA HONORES
G R A T V L A T V R
ANDREAS CHRIST. BEZELIVS
MEDIC. CANDIDAT.

L I P S I A E C I O I C C I X X X X I I .